



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Cursus Theologicus**

**Gormaz, Juan Bautista**

**Augustae Vindelicorum, 1707**

Disputatio 18. De actu Externo Fidei.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](#)

# DISPUTATIO XVIII.

## DE ACU EXTERNO FIDEI.

**847.** **C**ertum est apud Catholicos, dari præceptum obligans ad actum fidei eliciendum, non modò internum, sed etiam externum; de actu interno diximus Tractatu de gratia justificante à num. 59, ubi declaravimus quedam esse credenda necessitate mediū; alia verò necessitate præcepti, de quibus late videri potest Maurus tom. 2. q. 142. per tres integras quæstiones & Alexand. 8. cit. num. 6. de Spe, ubi damnat sententiam oppositam, quæ docebat præceptum fidei non obligare directè & per se; at modo non agimus de actu fidei interno, sed de externo, nempe de fidei confessione circa quam datur verum præceptum; tenemur enim nos aliquando fidem nostram non solum internè concipere, sed etiam extrinsecè confiteri; clare colligitur ex illo Christi Matth. 10. omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego coram Patre meo, qui in celis est; ex magnitudine enim poenæ scilicet ejectionis à Regno Cælorum & à facie Patris manifestè colligitur præceptum obligans sub gravi ad externam fidei confessionem; utrumque actum comprehendit Apost. ad Romanos 10. corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad fidem. Quare hanc veritatem tradunt Concilia quā plurima, nimurum Concilium Apostolorum Can. 61. Nicænum Can. 11. 12. Ancyranum ferè per totum, cap. Elebertiūm can. 1. & 2. unde quando Marcellinus Papa peccavit, externè fidem negando penitentiā ductus coëgit Conciliū, & poenæ se subjiceret, quamvis Concilium ipsi judicium reliquerit, eo quod prima Saedes à nemine judicatur, ut refert Nicolaus Papa cap. nunc autem dis. 21. & videri potest in 1. tom. Conciliorum; quæ veritas optimè confirmatur ex facto Machabæorum, qui mortem sustinuerunt, ne fidem suam negarent; quod si id fuit necessarium in legge veteri, profectò multò magis est in nova, id circò negare fidem externam non est malum, quia prohibitū, sed potius est prohibitum, quia malum. Cæternū quia modus negandi fidem multiplex esse potest, nimurum vel positivus, vel privativus, vel verbis, rebus, aut factis; ex inde querimus in præsenti obligationem confidendi fidem per hæc omnia media.

### S E C T I O I.

#### *Exponitur obligatio confidendi fidem externe.*

**848.** **S**uppono 1. Fidei præceptum quatenus positivum, non obligare semper, & pro semper, bene verò aliquando, ut constat ex num. 7. & quatenus negativum obligat semper, & pro

semper, non minùs quam omnia alia præcepta negativa; nunquam enim licet fidem nostram negare, quo tendunt Verba Christi citata num. superiori; ceterum quia negare fidem duplìciter fieri potest, nimurum eliciendò actuū externum oppositum fidei Confessioni, ut si quis diceret, te non esse Christianum, vel esse Lutheranum, vel profiteri aliquam Religionem oppositam & incompositibilem cum professione fidei Catholicæ, quæ dici solet negatio positiva; vel non eliciendò actuū extēnum fidei confessionis, quando tenerit, ideoquæ presumit fidem extēnam negare, qua dicunt negatio privativæ, seu contraria, & propriè dicitur erubescēt; qui enim ita se genuit, Christū erubescit, quod magnum peccatum est contra fidem ex illo Lucæ 9. qui me erubescit, & meos sermones, hunc Filius hominis erubescit, cùm vencrit in maiestate sua, & Patri & Angelorum, quomodo cumque fiat, semper est magnum peccatum contra fidem.

Suppono 2. Hanc extēnam fidei negationem fieri posse verbis, rebus, aut factis; tunc fit verbis, quando quis verbis profiteretur, non esse Christianum. Fit rebus, quando aliquis signo ab actione hominis distincto manifestat alterius Religionis esse, ut si absque causa vestes indueret proprias eorum, qui profitentur Religionem oppositam fidei; fit factis, quando elicit actiones, quibus profitetur extēn Religionem diversam ab illa, quam Catholici profitentur, ut si quis Mahometi imaginem adoraret, thus Idolo offerret &c.

Suppono 3. Inter verba, res, & facta magnum esse discrimen; nam verba nullum aliud munus habent, dum serid, & absque joco proferuntur ab homine, nisi significare id, ad quod instituta sunt ab hominibus; unde nunquam licet eo modo proferre talia verba, quibus aliquis neget professionem fidei Catholicæ quamquam enim si quis in representatione induat personam v. g. Hebræ, aut alterius hujus furfuris hominis, cùm apud homines clarum sit, id per jocum, & non fieri, verbæ, quæ ipse profert, nequaquam significant negationem fidei Catholicæ, sed tantum ita homines oppositæ Religionis facere. Res autem, & facta non ita se habent, nam ex prima sua institutione non habent unicè significare Religionem Catholicæ oppositam, sed alia plura munera præstare possunt. Sic aliquis mittere potest thus in thuribulum & ignem ut remedium aliquod ad salutem ordinatum; proindeque ut significet cultum idolo factum, non quidem à pura actione, sed ab illa ut vestita talibus circumstantiis, desumendum est; pariter vestes ex se primario sunt ordinatae ad tegendam corpus, quod autem istæ assumantur ad profici-

dam hanc vel illam Religionem ex consuetudine vel lege desumptum est, non ex natura vestis, quae alium usum haber distinetum ab istituzione illius legis & consuetudinis; quod vocibus nequaquam convenit; cum ex natura sua aliud munus non habeant, nisi id, quod ad significandum instituta sunt ab hominibus.

851. Hæc autem est ratio, quare voces si aliquando instituerentur ab hominibus ad significandum non quidem professionem Religionis opposita, sed inimicū nationis, assumendō eas voces non committeret homo peccatum contra externā professionem fidei; sic apud plures Indos nomen Christiani non erat nomen Religionis, sed insignis malefactoris, idēmque erat in bello interrogare, an esset Christianus, an interrogare, an esset inimicus nationis, vel insignis malefactoris; quo in casu, qui negaret sibi eo sensu, se esse Christianum, non ex inde fidem negaret, ut bene docet Thomas Sanchez lib. 2. in Decal. à num. 8. ubi citat Bannez, Aragon, Emanuele, & Petrum Ledesmann, id; ipsum tradit Azorlib. 8. institut. Moraliū cap. 27. & Ex. Doc. disp. 14. de fide Sec. 1. num. 10. atque exinde apparet, ex quo capite deducenda sit resolutio totius hujus difficultatis, quando nempe censeatur homo externè negare fidem suam verbis, rebus, aut factis; tunc enim illam negabit, quando hæc signa assumit, quando hic & nunc talem habent significacionem, ut per illam manifestetur, eum hominem profiteri Religionem Catholicæ oppositam; arque ex inde etiam pater, cur in bello absque ullo peccato sæpe Christiani afflunt vexilla Turcarum, quin exinde negent Religionem Catholicam, illa namque stratagemmata (est jure gentium notum) fieri ab hostibus ad se occultandos, non verò ad negandam suam fidem; unde sicut se occultare sæpe licitum est, etiam ut illis stratagemmatibus licet, quod cum non habeant voces, quandoquidem instituta non sunt, ut aliquis se occultet, sed ut mentem suam manifester, ut à num. 236. exinde non licet afflumere voces, quibus aliquis dicat se non esse Christianum, licet assumere licet vexilla Turcarum: His positis

852. Affero 1. Nunquam licet fidem Catholicam negare, nec verbis, nec rebus, nec factis: Probatur Conclus. & facile ex dictis; nam præceptum fidei obligat ad fidem externē profiteri, ut à num. 846. ideoque hoc præceptum quatenus negativū est, obligat ad nunquam negandam fidem: ergo negatio, sive fiat verbis &c. semper illicita est, cumque sit in materia gravissima, est gravissimè peccaminosa; ideoque prohibetur tam serio à Scrip. Concil. cit. n. 846. Confirmatur & explicatur hæc ratio: mendacium in materia gravissima est mortale peccatum gravissimum; arqui fidem negare sive verbis &c. est mendacium in materia gravissima ergo, probat. min. ex D. Thoma 2.2. quæst 3. art. 1. ubi hæc: habet ad virtutem veritatis pertinet, ut quis talem se exhibeat per signa ex R. P. Gormaz Theolog. Tom. I.

teriora, qualis est; signa autem exteriora non solum sunt verba, sed etiam facta; sicut ergo veritati opponitur, quid aliquis per verba exteriora aliud significet, quam habet apud se, quod ad mendacium pertinet; ita etiam opponitur veritati, quid aliquis per aliqua signa factorum, vel rerum aliquid significet contrarium ejus, quod in eo est, quod propriæ simulatio dicitur. Unde simulatio proprie est mendacium quoddam in exteriorum signis factorum consistens; non refert autem, utrum aliquis mentiatur verbo, vel quocumque alio facto, ut diximus supra. Unde cum omne mendacium sit peccatum, ut supra dictum est, consequens est etiam, quod omnis simulatio est peccatum: ergo &c.

Probatur 2. Non solum verba, verum etiam res, & facta in aliquibus circumstantiis talia sunt, ut per illa adimpleamus præceptum externæ confessionis fidei; eò quod in illis circumstantiis tunc non aliud primariò significant, nisi externam fidei confessionem. Unde res, & facta opposita sub eisdem circumstantiis revera essent negatio fidei; arqui vera negatio fidei simpliciter est illicita & graviter peccaminosa: ergo. Confirm. qui rebus, verbis & factis negar exterius fidem, quam interius profiteretur, propriè, & formaliter simularer Sanctam fidei professionem; arqui talis simulatio est gravissimum peccatum; ergo. major, & cons. tenent; min. constat ex naturæ lumine, & ex Script. 2. Machab. 6. ubi Eleazar noluit comedere carnes sibi alioquin permisas in circumstantiis, in quibus simularetur comedere carnis suillæ sibi prohibita, quia illæ circumstantiæ reddebant talem comeditionem illicitam, & ostendebant externam negationem sive fidei, adeoque cognoscet semper talem comeditionem merituram pænam: en eius verba: & si in presenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum Omnipotentis, nec vivus, nec defunctus effugiam. Unde Hieron. Simulata Sanitas, duplex est iniquitas & Chrysost. Ser. 7. Simulator virtutem virtutem obtuncat mucrone virtutum: ergo &c.

Quapropter externa negatio fidei, quæ habetur interne, nunquam fieri potest licet, licet fieri possit licita assumptione rerum, & factorum in circumstantiis, in quibus aliam significacionem habeant valde diversam à significacione fidei, quamquam aliqui videntes decipientur absque intentione, quam alter habet ad decipendum, tunc enim & res, & facta provenire possunt à dupliciti causa; altera licita, ex qua hic & nunc operans habet jus ad negandum; altera illicita, ex qua hic & nunc operans non habet jus ad negandum; cumque agens hic & nunc possit agere ex causa, ex qua jus habet ad agendum, actiones, & facta, quæ ex iusta causa procederent, non significarent hic & nunc effectum, qui procederet à causa iusta, ut ex ipsis terminis patet. Quamobrū si aliquis videns res illas & facta, judicaret tunc procedere

Aaaa a causa

853.

854.

à causa iusta, ipse se deciperet, quin alter, qui justè operatur, illum deciperet, quod idem contingit in verbis; quo in casu alterius deceptio non esset intenta, sed purè permissa ab operante, ut sit ab eo, qui àequivocè loquitur ex causa iusta intendens veram significationem, quando audiens decipitur, atque oppositum intelligit. Hæc autem non dicitur simulatio formalis, sed purè materialis, quæ in illis circumstantiis licita est; sic Christus coram Discipulis euntribus in Emmaus Lucæ 24. se finxit longius ire, per quod significabat vel ipsum in mente Discipulorum abilitem esse ab illis, ut explicat Gregor. Hom. 23. in Evangelium dicens: *nihil simplex veritas per duplicitatem fecit, sed talem ipsi exhibuit, qualis apud illos erat in mente, vel ut alij, significat suum ad Cælum iter, & Discipuli præter Christi intentionem intelligentes viam materialē decipiebantur; etenim cùm Christus Dominus jus habeat ad loquendum ex illa causa iusta, nullam tum formalem simulationem habuit, sed purè materialē & licitam.*

**855.** Sic Interpretes à peccato excusant Josue, quando cap. 8. præcipit militibus fugam, ut commodiorem haberent occasionem debellandi hostem, quia simulavit metum purè materialiter modò dictò; nam fuga potest procedere à diversis causis, nempe à timore, vel à desiderio habendi commodiorem occasionem pugandi; hostes autem Josue, rati, fugam ex timore ortam, decepti sunt; eodem modo discurrendum est de manifestatione àequivoca per res, aut facta, ut de illa per verba; unde quando datur jus ad ita manifestandum, non est peccatum, permittere deceptionem aliorum; sic decepti sunt Judæi, quando Christus dixit Johan. 2. *Solvite Templum hoc &c.* quia judicabant eū loqui de Templo materiali; at ut inquit Evangelista, *ille autem dicebat de Templo corporis sui;* quapropter iste modus decipiendi alienus est à simulatione prohibita, quæ non sit purè materialis, sed vel formalis, vel materialis nō pura, cùm est apposita in circumstantiis, in quibus non est iusta causa, ex qua procedat; atque exinde facilis est progressus ad alteram assertionem.

**856.** Afferro 2. Non confiteri, sed occultare fidem rebus, verbis, vel factis, quando aliquis fidè confiteri tenetur, grave peccatum est; secus autem erit, si quis tunc habeat jus ad occultationē. Prob. 1. pars: quia operari contra jus reficiens fidem, est ad minùs, fidem erubescere, quod magnum est peccatum ex num. 846. Unde Aug. in Psal. 115. ait. *non, perfectè credunt, qui, quod credunt, nolant loqui.* & Author operis imperfecti hom. 25. in Mathæum, *non solum ille proditor est veritatis, qui transgrediens veritatem, palam mendacium loquitur; sed etiam, qui non liberè veritatem pronunciat, quando oportet.* Tempus autem hujus necessitatis dupliciter ex cogitari potest, vel per se ratione fidei, vel ratione aliarum virtutum, quæ hic & nunc obligant ad professionem fidei; ratione fidei potest considera-

ri necessitas vel ex parte Dei, si honor ejus, in quantum est fidei Author, periclitetur; ut si propter defectum Confessionis fidei Religio Christiana falsa existimari possit; vel Author ejus falsa dixisse; vel etiam ex parte hominis, si propter omissionem confessionis fidei nimio timori locum daret, & se exponeret periculo vel deficiendi à fide, vel ostendendi inconstantiam in illa; in his, & similibus casibus ipsam fides & pia affectio obligare posset ad ejus confessionem. Ratione aliarum virtutum alignatur à D. Thoma tempus illud, in quo honor Deo debitus ab homine exigit confessionem fidei, cùm desistendo ab illa subtrahit Deo debitum honorem, ad quem tenerit homo ex charitate erga Deum, vel quando id postulat utilitas proximi, quæ tanquam esset, ut moralis necessitas censeretur, qualis est, si vera confessio necessaria censeratur, ne alij fidèles inconstantes sint, & à fide deficiant, alijque similes casus, quos exponit Aug. Serm. 181. de tempore, & libro de fide & symbolo in principio, ubi ait. *Salvi esse non possumus, nisi & nos ad futurum proximorum ore profiteamur fidem.* Vid. Suar. D. disp. 14. de fide scđt. 2. per totum.

Probatur 2. pars. Quando aliquis jus haberet ad fidem hinc, & nunc occultandam, si fidem occulet, non est neque fidem erubescere, neque fidem negare, sed ut mediò hic & nunc sibi licet ad finem alium consequendum; sic qui non potest evadere manus Judicis eum querentis ad intercessionem, nisi occultando suum statum, revera potest statum suum occultare ex jure, quod hic & nunc habet ad vitæ suæ conservationem; idcirco videmus tales homines, quamvis laicos, induere habitum Religionis, ut ministrorum manus effugiant; quod non est mentiri, sed occultare statum suum; vestes enim illæ Religionis non sunt ex primaria sua institutione destinatae ad significandum Religionis, sed ad corpus tegendum, quod revera præstare poterant antè quam Religion illa institueretur; neque munus istud amiserunt, sed quod instituta fuerit Religion; quare vestrum inducio provenire potest à duplice causa, nimirum ex fine le occultandi, vel ex fine ostendendi se esse Religionis; quando provenit ex fine se occultandi, non adeat intentio mentiri; sed adeat intentio, se non detegendi, quæ duo valde diversa sunt; siquidem ille, qui in sepulchro subterraneo clauderetur, re verâ se occultaret, & non mentiretur, ut S. Athanasius, plurisque alij Sancti se occultarunt; quare quando effectus potest provenire à duplice causa, una licita, altera illicita, possum effectum ponere ex licta, quique eo modo in circumstantiis illis se gerit, non peccat, ut à num. 853. ex dicitis.

Fit 1. Non licere fidem occultare ullo modo, cum nulla est causa, quæ jus afferat ad occultationem; idcirco cùm in circumstantiis, in quibus non potest fides occultari sine gravi diminutione divini honoris, aut detrimento spirituali proximorum, nullum manet jus ad occultati-

cultationem, siquidem nullus habet jus ad gravem divini honoris diminutionem vel ad grave detrimentum spirituale proximorum; exinde in illis circumstantiis nemo potest licetē fidem occultare, tunc enim vel fidem negaret, & esset infidelis deterior, vel saltem erubescere. Atque exinde colliges principium universale ad informandā in re præsenti doctrinam moralem; aliqui enim Doctores censent fidem interrogatum de fide sua, non posse illam occultare, si interrogetur ab auctoritate, & potestate publica, benè verò si à privato. Alij distinguunt inter tyrannum ipsum publicē vel privatum interrogantem, alij iterum distinguunt ut persona privata sit vulgaris vel gravis, & magna auctoritatis.

**859.** Cæterū omnes istae distinctiones non sunt ad rem ut bene Exim. Doct. notavit disp. 14. fest. 3. nū. 6. quia sæpe læpius contingere potest, ut non possit occultari fides, interrogante persona vili, privata, & sine ulla auctoritate, quia magna superveniret diminutio divini honoris, aut proximi detrimentū spirituale; quo in calu illicita esset fidei occultatio; ergo per illas distinctiones nequaquam assignati potest regula universalis, bene verò per principium à nobis declaratum; quod autem omnes Auctores convenient in eo, quod certò reneatur fidelis respondere de sua fide, quando tyrannus publica auctoritate interroget, inde est, quia si runc non profiteretur fidem, daretur magna diminutio divini honoris &c. atque adeò haec obligatio reducitur ad principium nostrum, scilicet eam oriri propter honorem Deo aut Religioni Christianæ debitum; quamobrem sicut in aliis rebus moralibus, quid hic & nunc faciendum sit, solum potest designari ex circumstantiis juxta prudentum iudicium attentis principiis ad casum illum pertinentibus, ita in re nostra non potest aliter resolvi, nisi tentans circumstantiis ex iudicio prudentum juxta principium à nobis declaratum.

**860.** Fit 2. Tempore persecutionis licere fidelis fugere, ne interrogetur, & fidem confiteri compellatur, quotiescumque fuga illa fieri possit absque detrimento honoris debiti Deo & Christiana Religioni, quod satis expreßè docuit Christus Matth. 10. cùm autem persequentes in civitate ista, fugite in aliam, quod & Apostolos ita fecisse legimus, præcipue Paulum 2. Cor. 11. ubi de se ait, per fenestrā insperata demissus sum per murum, & sic effugi manum ejus; quod etiam fecerunt multatij Martyres, & Confessores, prælertim Athanasius, ut haberetur in Apol. de sua fuga, quod eriam approbat Cyprian. lib. de lapidis aijens: secundus ad Gloriam gradus est causa secessione subtractū Domino reservari: qui interim cedit, non fidem negat, sed tempus expectat, nam forte qui non secedit, negatur us remansit; sic juxta Athanasium homo ignorat tempus mortis sue à Deo destinatum, ideoque quando altera ratio oblationis expectare non cogit, optimè facit su-

R.P. Gormaz Theolog. Tom. I.

giendō mortem, donec Deo permittente in eas angustias deveniat, ut eam licetē evitare non possit.

Unde si quis non interrogetur de sua fide in particulari, sed in generali v. g. si quis est fidelis, se prodat, cùm adsint multi fideles occulti, nemo propriè interrogatur, & ideo regulariter loquendō nullus tunc tenerit se prodere, sed potius potest fugere, ne in particulari interrogetur; idem dicendum est, si quis interrogatur non ad odium fidei, sed in odium personæ, quamobrem omnes istae circumstantiae considerandas sunt ad licitam actionem inferendam; adit Exim. Doct. aliquando fieri posse ut talis fuga sit præcepta, nimis quando persona est publica, & ad aliorum utilitatem moraliter necessaria, quod eriam docent Aug. Gregor. & alij; quamquam etiam aliquando possit esse licitum non fugere, sed perseveranter etiam exspectare cum periculo mortis, cùm illud non sit se occidere, sed potius non custodire viram, quod sæpe licet propter rationabilem & honestam causam, unde Cajet. in Matth. 10. fugite in aliam civitatem: dixit, licentia est, non præceptum, & apposuit hoc, n illicitū existimatetur fugere.

Fit 3. Quando non obligat fidei confessio, possit occultari fidem exercendō aliquas actiones, quas exercere solent infideles, non verò possit occultare exercendo omnium infidelium actiones; idemque suō modō dicendum de rebus, ratio est, quia aliqua sunt actiones, quæ vel ex natura sua, vel institutione, & usu solum sunt destinatae ad significandum cultum Religiōsū, ut apud nos thurificatio &c. aliae verò sunt quidem specialiter destinatae ad significandum Religionis cultum, sed ex primæva sua institutione sunt destinatae ad corporalem tantum utilitatem, quantumvis ita propriæ sint alicujus nationis infidelis, ut homines illius nationis illos sibi usurpaverint quin potius aliquando ex lege destinatae sunt ad discernendum fidem ab infidei non quidem ut sit professio infidelitatis, sed ut fideles commercium non habeant cum illis, vel ut possint fugere illos, quales vestes induunt. Sic Romæ pilæ flaviæ destinatae est pro Judæis, & inter Turcas fascia sive toballia alba in capite, quam Turbantes vocant, vel inter aliquos Sacracenos vestis habens depictam lunam, aut effigiem Mahomēsis, vel idoli inter gentiles. Si enim vestis illa aut signa destinata essent, ut Judæi Mahometani, vel Gentiles periferentur suam Religionem, illicium esset ferre vestem, cùm illicita sit lex, ut Judæi suam Religionem profireantur. Unde non tendit lex ad extorquendam professionem Judaismi, sed ad admomendum Catholicos, ut possint fugere commercium cum illis, qui alioquin profiterentur Judaismum.

Quamquam autem fidelis ex gravi causa quoque possit assumere sibi vestes quas aliae infideles nationes induunt v. g. ad evitandum periculum vitæ, siquidem lex humana cum tanto periculo non obligat, ac proinde in circumstantiis

A a a a a 2

stantiis

stantiis illius periculi non habent significati-  
onem infidelitatis; at vero sine urgenti causa  
cum significationem suam justam ex iure reti-  
neant, non licet illis uti, neque licet uti illis actionibus,  
qua ex primæva sua institutione destinatae sunt ad cultum significandum, ut in illis  
circumstantiis non possint à significatione sua  
separari; sic nunquam licet pectus tundere, ge-  
nusflectere, thus offerre Idolo, cum iste actiones  
ex primæva sua institutione destinatae sint ad  
cultum significandum. Unde illæ actiones non  
sunt fidei occultatio, sed formalis aut virtualis  
idololatria, aut hæresis professio, atque penes  
hoc vestes & actiones illæ assimilantur verbis,  
qua ex sua prima institutione destinatae sunt ad  
significandum vel primariò res & conceptus,  
vel immediatè conceptus, & mediare res: unde  
sicut nunquam licet neque ad evitandam  
mortem ore profiteri, me non esse Christianum,  
ita neque licet uti illis rebus & actionibus;  
quod non ita accidit, quando res, & actiones  
primariò & per se ad alium finem sunt insti-  
tutæ.

864.

Quapropter si Princeps infidelis juberet ob  
aliquem finem politicum, ut omnes hæretico-  
rum tempora adirent, & concionem audirent, li-  
citur esset Catholicis seclusò scandalò & per-  
culò perversionis obedire illi ad evirandas gra-  
ves pœnas; nam id non esset professio Sæctæ hæ-  
reticæ, sed actio per se indifferens, quæ ante  
Principis mandatum fieri poterat ad notandos  
hæreticorum errores: unde cum modò solùm  
præcipiatur aditus in Ecclesiam, non mutatur  
illa actio ex indifferenti in pravam; secus esset  
si Princeps id juberet ob symbolum Religionis,  
& ut discernerentur illi, qui profrentur factam  
hæreticam, à profrentibus Religionem Catho-  
licam; tunc enim eò ire perinde esset, ac haer-  
esim profiteri externa saltem professione, quod  
est omnino illicitum, quamquam aliquis prote-  
staretur, se non adire ad profitendam factam hæ-  
reticorum, sed tantum ad obediendum Princi-  
pi; cum enim obedientia illa inseparabilis esset  
ab externa hæresis professione, omnino esset il-  
licita; atque ita dicitur decisum fuisse à Paulo  
V. consulto de hoc occasione cuiusdam editi  
Regis Angliae, quod certè ex ratione adducta  
evidens apparuit; aliter simili protestatione fa-  
cta potuisse Eleazar carnes porcinas edere.

865.

Fit 4. Catholicos Angliae minimè peccare  
vescindò carnibus diebus vetitis, & in quadra-  
gesima ad se occultandum, licet ad protestationem  
libertatis Evangelicæ talis usus fuerit  
permisus, & introductus in Anglia; ratio est,  
quia permisso illa non tollit primarium il-  
lorum ciborum usum ad hominis sustentationem  
deservientem, ac proinde ex permissione  
illa talis usus non redditur malus, sed tantum  
est malus ex iure positivo, & Ecclesiastico; sed  
jus positivum & Ecclesiasticum secundum o-  
mnes non obligat in tam gravi periculo; ergo  
tunc Catholici vesci possunt carnibus ex eo fine.  
Pariter, Sacerdos Gentilis; aut Turcicus ad

fidem nostram conversus non tenetur statim  
deponere vestes, quibus uti solebat, & se pro-  
dere, exponendò se evidenti periculo mortis;  
nam illæ vestes habent aliquem ulrum primari-  
um licitum, & honestum, scilicet tegere cor-  
pus, & consuetudo nationis, quantumvis lex  
humana esset, non obligaret illo periculo; ac  
proinde maneret factum illud licitum.

Fit 5. Non licere uti signis & vestibus infidelium in circumstantiis, in quibus non possint  
sejungi à significatione infidelitatis, vel à ma-  
nifestatione externæ professionis illius, qui ta-  
libus signis & vestibus utitur; quandoquidem  
in illis circumstantiis res, & facta continent  
intrinsecam malitiam; bene vero in circum-  
stantiis, in quibus à tali professione sejungen-  
tur, atque ex iure gentium ita sejunguntur; hæc  
est ratio, quare in tragediis licet induit  
fidelis persona hebrei, Mahometani &c. gestar  
eorum imaginens, & peculiaria insignia, nam  
ex gentium iure recepto, illæ actiones potius  
ad irrationem earum sectarum instituta sunt; at-  
que ex inde decidenda est difficultas, quam alii  
latè exagitant, an nimis licet Christianis  
exploratoribus, qui ad infidelium terras mitran-  
tur in commodum Reipublica Christianæ, ut  
eorum vestibus, & an licet militibus Christia-  
nis pugnantibus contra turcas aut infideles ut  
corum vexillis, ut eos capere possint.

Dicendum enim est, licitum esse illi signis  
& vestibus uti ex gravi urgente necessitate, &  
justa causa, quandoquidem in illis circumstan-  
tiis non significant professionem oppositam Re-  
ligioni Christianæ; nam cum sint ambigua si-  
gna ad manifestationem sectæ, vel ad stratagem-  
mata confiencia in bello justo, dum in illis  
circumstantiis à justa causa procedunt, licet ap-  
ponuntur; ac cessante justa causa, sine urgente  
necessitate non possunt licet apponi. Addo  
insuper cum Exem. D. cavendum esse, ne pecu-  
liaris honor idolo, aut falso proheret per ges-  
tationem talis vestis deferatur, ut videatur accide-  
re, quando idolum ipsum vel Carecteres Maho-  
meti in veste depicti feruntur; nam videatur id  
in honorem ejus institutum, adeoque vel oc-  
cultandum vel alio modo cavendum, ne talis  
demonstratio vestium & honoris defetur, nam  
hoc semper superstitionis est, ut docet Sanchez  
lib. 2. in decal. cap. 4. num. 23. & Azor lib. 8.  
inst. Moral. cap. 27. q. 6. His autem obser-  
vatius cessat superstitionis periculum, & manet  
causa justa ad utendum illis signis; idem est de  
vexillis vestibusque Turcarum, quibus Christi-  
ani se occultent: ergo licet tunc fit.

Fit 6. Externam fidei professionem aliquan-  
do obligare non solùm quasi ex natura rei, cum  
scilicet id exigit honor debitur Deo, aut Catho-  
licæ Religionis juxta superiori dicta, sed etiam  
ex iure positivo; sic Trid. less. 24. cap. 12. de  
reform. præcipit, ut Clericus promotus ab Bene-  
ficium habens annexam curam animarum, vel ad  
Canonicatum, aut dignitatem in Ecclesiis Ca-  
thedralibus, si intra duos menses à die promo-  
tionis

tionis suæ non fecerit professionem fidei modò illi præscripto, privetur fructibus beneficij, donec illam facit; verba Concilij sunt, *fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur;* qua verba inducunt pænam ipso factō, & obligant in conscientia ante omnem declarationem ad nō retinendum fructus tamquam suos; etiam ex sess. 25. cap. 2. de Refor. Prælatis præcipitur, ut in prima synodo post suā promotionem professionem fidei faciant: additur, ut complices Episcopi Pontificem moneant, & interim à talis Prælati communione abstineant, quod est veluti quædam censura.

869. Circa istas Trid. constitutiones videndus est Sanchez lib. 2. in decal. cap. 5. ubi plures quæstiones latè agitat, & dissolvit, nimirum anpecient mortaliter Parochi, Canonici, vel dignitantes non facientes fidei professionem, an Doctores, & Magistri cuiuslibet facultatis, & an eos promoventes absque præmissa fidei professione excommunicati sint, an qui intra tempus à Trid. præscriptum non emiserunt eam, teneantur eo transfacto emittere, & profit ad fructus quæfitos & quærendos, an professionem fidei alio titulo emissam teneantur ratione beneficij iterum emittere, vel an satisfaciant emitendō per procuratorem &c. Similiter Pius V. in alio motu proprio incipiente in Sacro Sancta decernit, ad hanc fidei professionem teneri omnes Doctores, Magistratus, Regentes & aliquos cuiusvis artis, & facultatis Professores, sive Clericos, sive laicos, sive regulares, qui in quibusvis Universitatibus, aut Gymnasiis publicis, aut alibi Lectoris ordinariam, aut extraordinariam cathedralm assequi voluerint, aut obtentam retinere, & insuper decernit omnes promoventes eos, qui dictam fidei professionem non fecerint, excommunitacionem lata sententiae incurrire, & privationem eo ipso beneficiorum, omnium dignitatum & inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtainenda; ceterum ut cum pluribus Doctoribus notat Sanchez, hoc decretum Pij V. sicut & alterum Pij. IV. usū receptum non est in aliquibus Regionibus, adeoque in illis non obligat. Unde consulenda est uniuscuiusque regionis consuetudo; arque hoc quantum attinet ad pænas contra eos, qui externam fidei non faciunt professionem.

870. Contra illos verò, qui non solum omitrendō, sed etiam committendō peccant per externam fidei negationem, semper Ecclesia processit imponendō gravissimam punitionem, ut constat ex Concil. Ancyran. per plures Canon. & Elibertino, ubi qui fidem externam negaverit, privatur etiam in fine vita communione, qui rigor postea temperatus fuit, ut constat ex Siricio Papa ad Thimerium Episcopum Tarragonensem, uti non latam, sed ferendam sententiam significat his verbis: *quos à Christi corpore & sanguine abscondi jubemus, & addit, quamdiu vivunt, agant penitentiam, si tamen resi pescunt, eis etiam in ultimo fine reconciliationis gratia tribuenda.* Exinde oritur quæstio

apud Theologos, an scilicet sic lapsi exterius sine interna infidelitate ipso factō excommunicationis pænam, vel alias Apostatis impositas incurvant. Affirmat Cajet. 2. 2. q. 12. art. 1. & q. 94. art. 2. ratio ejus est 1. quia multa sunt jura, quæ absolutè sic puniant Apostatas, præsertim C. contra Christianos de hæreticis in 6. & alia multa in decreto 26. q. 7. & ex Greg. XI. lex peculiaris refertur in direktione Inquisitorum p. 2. q. 54. 2. quia Ecclesia non punit actus internos, sed externos: delictum autem externum idem est sive internè negetur, sive non negetur fides, ideoque multa alia similia delicta puniuntur ab Ecclesia v.g. magiæ &c. tametsi absque interna infidelitate fiant, ut specialiter declaravit Joan. 22. 3. quia de facto isti absolvuntur, & Ecclesiæ reconciliantur, alisque pænis afficiuntur, quod non ita fieret, nisi pænas, & censuras incurrisse 4. quia ille qui furatur, incurrit pænas contra fures latas sive ex metu, sive ex alio motivo furetur; ergo similiter in præsenti.

Nihilominus communis Theologorum sententia quam sequuntur Sylvester, Navar. Anton. Toletus, Azor, & ex Doct. disp. 15. sect. 6. docere eos, qui vel tormentorum metu, vel propter cupiditatem honorum, aut honorū temporaliū exterius tantum & factō animō fidem negant, & actiones fidei confessionis contrarias exercent, licet puniri possint pænis jam supra insinuatis, non tamen incurrire pænas seu censuras latas simpliciter contra hæreticos, & Apostatas. Ratio est, quia lex pænalis est stricti juris, & restigenda ad delictum perfectum, & consumatum, quatenus per verba legis significatur, ut in materia de legibus, & censuris docent AA. atque leges, & Canones simpliciter puniunt hæreticos & Apostatas; sub quibus nominibus isti sic lapsi non comprehenduntur, non enim sunt simpliciter hæretici, cùm fidem retineant, neque simpliciter Apostatae, quia Apostatae simpliciter recedunt ab Ecclesia & à fide; isti autem non simpliciter, sed tantum factō recedunt, ideoque simpliciter non committunt Apostasiam veram, quæ est Apostasia perfida, sed tantum factam & simulatam, id circa ejusmodi homines nullam censuram ipso facto incurrint, cùm nulla inveniatur specialiter, contra illos lata, unde crimen illud non est reservatum Papæ, siquidem juxta jus generale, nullum peccatum est reservatum Papæ, quod censuram annexam non habet, nisi fiat peculiaris exceptio, quæ in hoc casu non sit.

Quapropter fundamenta Cajetani facilem habet solutionem: ad primum dicitur illa iura solum punire delictum perfectum, & simpliciter tale, quale non est externa fidei negatio sine interna; ad secundum Ecclesiam non punire ipso factō actum externum separatum ab interno, sed prout procedit ab interno, ejusque malitiam induit, & ideo per dictas leges non puniri hunc actum externum, quia non procedit ab infidelitate, quam præcipue per illas leges

Aaaa 3

872.  
punire

punire intendit, quod secus est in aliis, quae referuntur contra magos vel Ariolos. Ad 3. abolitionem illam dari ad cautelam propter presumptionem, & peccatum illud puniri ab homine, quamvis non habeat censuram latam à jure, de qua agimus, punitur enim aliter, quam propria hæresis, vel Apostasia, quando in foro externo sufficienter fidelis animus præsumitur. Ad 4. negamus conseq. quia furtum in sua malitia non pender ab interna intentione eo modo, quo hæresis; vel Apostasia; nam furtum est peccatum sua specie perfectum, quamvis ex meru sit, non autem hæresis, vel Apostasia, quando deest falsa existimatio.

## SECTIO II.

## Solvuntur Opposita.

**873.** Objecies 1. ex Hæreticis Priscillianistis: Fides in corde consumatur, & per internum actum satisfit Deo, exterior autem solum potest esse necessarius propter homines: atqui ad confessionem faciendam propter homines non tenetur aliquis cum periculo vitæ, ergo ad fugienda tormenta & mortem, licet aliquando negare exterius tantum fidem. Confirm. 1. Si ad evitandam mortem non liceret exterius tantum negare fidem, teneretur homo semper illam exterius confiteri, quando de fide sua interrogatur, sed non semper tenet, alias in eo casu nunquam liceret fidem occultare contra num. 856. ergo. Conform. 2. Si non liceret fidem in eo casu exterius tantum negare, neque liceret tempore persecutionis fugere, ne interrogetur, & fidem confiteri compellatur; atqui ut docent D. D. contra Tertull. à num. 859. sæpe in eo casu fugere licet: ergo &c.

Resp. nego maj. quia cum præceptum fidei obliget sæpe ad illius confessionem, ut ex Script. & P. P. constat à num. 846. non consumatur solo actu interno tota fidei obligatio: unde cum illud præceptum Gloriam Dei præfertim respiciat, & honorem, non solum facienda est ea confessio propter homines, sed magis propter Deum: unde C. nolite timere 11. q. 3. & C. si quis itidem hæc verba referuntur ex August. qui metu potestatis veritatem occultat, iram Dei super se provocat, quia magis timet hominem, quam Deum, & Iordanus lib. de summo bono cap. 2. ait, scilicet nihil proficit fides, que ore tenetur, & corde non creditur; ita nihil est profutura fides, que corde tenetur, si ore non profetur. Ad 1. Confirm. dist. maj. teneret confiteri, si intercederet diminutio honoris Deo debiti aut Religionis Catholicæ, conc. si non intercederet, neg. maj. & sic dist. min. neg. conseq. ut constat à num. 859. Ad 2. Confirm. dist. maj. neque liceret fugere, quando fuga censeri posset virtualis fidei negatio, conc. quando censenda prudenter foret zelus fidei, neg. maj. & dist. min. neg. conf. Ratio est, quia fuga aliquan-

do certè est prohibita tempore persecutionis maximè pastoribus, qui temencur non fugere, extra illud Joan 10. bonus Pastor animam portu pro ovibus suis, mercenarius autem videret lapsum euentem, & dimittit oves, & fugit. Id ubi exponit D. Thomas lectio 3. ponderat dilexisse Christum fugit, & dimittit, quia si Pastor interdum fugiat, ut se in commodius tempus reservet, & interim non dimittat oves, sed per alios illis sufficienter provideat, non se gerit ut mercenarius, neque contra hanc obligationem delinquit, sed potius procedit ex zelo fidei; quo in casu non peccat; de illis autem, qui non sunt Pastores, quando sit licitum illis fugere dixi n. 759.

Objecies 2. Quamvis actiones aliquæ vel ex natura sua vel ex institutione & uia solum sint ordinatae ad significandum cultum Religiosum, ut apud nos genu flexio, tunica pectoris, thurificatio &c. licitum est aliquando illas exercere ad occultandâ fidem, si haec ex gravi causa, & servata fide interna; ergo etiam in eo casu licebit fidem exterius negare rebus latenter & factis, Prob. ant. ex Hyer. super 2. & 3. ad Galatas epist. 89. ad August. ubi ait. Ceremonia legis veteris ab instanti mortis Christi mortisera, & morrua, & nihilominus Apostolos sine peccato interdum illa observâsse, eo quod non ex intentione cultus, sed per prudentem simulationem illa fecerint ergo &c. Confirm. 1. ex 4. Regum 5. ubi cum Naaman ex gentilitate ad Verum Deum esset conversus petit licentiam ab Eliseo, ut in templo idolorum comitando regem suum posset genuflexere, vel adorare utique animo fidet, & Propheta illi respondit vade in pace significans portuisse id facere sine peccato: ergo &c. Confirm. 2. exempli Regis Jehu 4. Regum 10. qui ad occidendos Proprietas Baal finxit velle cum illis sacrificare, cumque id fecisset, videatur Scriptura factum ejus laudare: ergo &c. Confirm. 3. Nam licet simulatio formalis semper sit peccatum, nihilominus simulatio materialis, quæ non supponit animum decipiendi, semper est licita; ergo & in casu necessario illa simulatio licita est.

Refp. neg. ant. ad prob. dico Apostolos 876 nunquam simulatè exercuisse ceremonias legis prohibitas, nam eo brevi tempore, quo post Domini Ascensionem observâvunt legalia, licet illa essent mortua, nondum erant mortificata, ideoque licitum erat ex animo & vera intentione colendi Deum exercere, non quidem ponendo in eis Spem Salutis, ut dixit August., quod certè sine simulatione fieri poterat: unde non probatur à Theologisin hac parte sententia Hyeron. sed Augustini impugnantis illâ, quamquam etiam possit assignari aliqua diversa ratio; nam ceremoniæ illæ non erant per se intrinsecè malæ, cum ferent ex vera fide, solumque erant prohibita ex sententia Hyeron, quasi posicivo jure cum permissione uenidi illis quasi nulliter, & ad tempus, & in casu necessitatibus, sive ex causa justa; & ita est limitanda illa

illa sententia, ut sit aliquo modo probabilis, non tamen est ad casum praesentem extendenda; cum in re praesenti nulla maneat permissione ad actiones illas in talibus circumstantiis elicendas. Ad 1. Confirm. neg. ant. Naaman non postulavit licentiam simulandi adoracionem idoli, sed solum ingrediendi templum idoli regem comitandos, & in suo munere ministrando, quod erat ministerium politicae observantiae, non Sacrae Ceremoniae, ideoque non erat simulatio formalis, neque naturalis prohibita, tametsi fortassis decipi possent adstantes, existimantes Naaman cum rege idolum coluisse; similis enim deceptio interdum ex iusta causa permitti potest, ut a num. 861.

877. Ad 2. Confirm. Resp. D. Thomas 2. 2. q. 111. art. 1. ad 2. Non esse necessarium excusare Jehu, quia non erat justus, sed iniquus; atqui ista est etiam sententia August. lib. contra mendacium cap. 2. unde ut bene notat Cajet, non laudavit Dominus eo loco simulationem, sed Zelum illius Regis de occidendis Prophetis Baal: non enim dicit: pro eo, quid bene locutus es, sed, quia studiosè egisti, ut enim bene notavit Exim. Doct. disp. 14. sect. 4. num. 9. saepe Scriptura approbat intentionem operantis, quamvis in facto vel in electione medijs aberret; quare Jehu illicite sacrificavit, ideoque ex facto illius perperam desumitur argumentum ad honeste faciendum simile factum.

878. Ad 3. Confirm. neg. ant. quia simulatio materialis, si conjugatur circumstantiis, ex quibus primariam suam significationem accipiat, & actionem factam esse significet ex fine prohibito, revera erit illicita; sic erit thurificatio coram idolo, quamvis aliquis non habeat intentionem agnoscendi in idolo divinatatem; in illis enim circumstantiis thurificatio per se loquendo scandalosa, & superstitiosum, & idolatricum cultum continet; quare cum illae actiones per se primò sint impositae in illis circumstantiis ad significandum falsum cultum, non possunt moraliter ab illa significatione separari; unde quamvis persona privatam intentionem non intendat significare, sed simulare, nihilominus actio illa semper falsam significationem continet, ideoque illicita est.

879. Objicies 3. contra 2. Assertionem &c, præsumti primâ ejus partem. Nunquam licet fidem occultare mentiendo; atqui occultare fidem rebus aut factis est occultare mentiendo: ergo. prob. mi. Fidelis habitans vel transiens in provincia infideliū, si utatur vestibus propriis eorum, & ab illis solum usurpati, videtur profiteri se infidelem; siquidem per illa signa externa quantum in se est, facit, ut ab aliis infidelis putetur; sed hoc est contra honorem fidei, & quoddam mendacium; ergo &c. prob. mi. juxta doctrinam D. Thomæ superius adductam num. 851. mendacium non minus rebus, quam verbis committitur; sed nullæ aliae sunt circumstantiae, in quibus mendacium fiat rebus, si in casu nostro non fiat; ergo &c. Confirm.

Si tunc non committeretur mendacium utendo illis vestibus, licet esset ad libitum, & sine urgente necessitate his vestibus uti; illæ namque vestes vel habent annexam falsam significationem, vel non? si habent illam annexam, numquam licet illis uti, etiam propter necessitatem, cum mentiri non licet; si vero non habent, licebit illis etiam absque necessitate uti; cum ex nullo alio capite possit actio illa illicita reddi: ergo &c.

Resp. conc. maj. dist. min. esset occultare fidem mentiendo casu, quo circumstantiae non darent jus ad tales occultationem, conc. si darent, neg. min. & cons. ad prob. dist. maj. videtur profiteri se infidelem, si hoc facit ex urgente necessitate, & afferente jus ad occultationem fidei, nego; si non ita fiat, conc. maj. & dist. sic min. neg. cons. Ratio est, quia sic non licet intendere deceptionem proximi, ita etiam non licet gratis & sine causa id facere, ex quo moraliter sequitur aliorum deceptio; quod cum in omni materia verum sit, maximè in ea, de qua nunc agimus; pertinet enim ad fidei honorem, ut fidelis non facilè, & sine causa ita se gerat, ut possit infidelis reputari.

Unde fit, quod hic usus non possit esse frequens, sed rarus, cum hujusmodi necessitas, vel occasio raro occurrat, atque ita videtur quasi communis usu receptum, ut in similibus occasionibus uti liceat eiusmodi industria, vel quasi stratagemate; non vero passim, & sine causa, ut bene notavit Exim. D. disp. 14. sect. 5. Quae est ratio, propter quam in illis circumstantiis oritur jus, quod certè sine illis non habetur, proindeque in illis circumstantiis ex iure gentium non reputatur mendax, qui sine illis revera talis reputareretur. Exinde ad confirm. neg. ant. quia ut videntur, ex iure gentium possit circumstantiis illis, de quibus agimus, licet est illo quasi stratagemate uti, & nullum mendacium committitur; at cum seclusis illis circumstantiis desit titulus justus iure gentium habitus, non aliter homo potest uti illis rebus, nisi modò, quo ordinatae sunt ad mentendum non mendaciō verborum, sed rerum, ideoque in ipsis circumstantiis non licet illis vestibus uti, quibus in aliis liceret.

Objicies 4. Urgendo simul solutionem: plures sunt vestes, quæ specialiter assumuntur ab infidelibus, illorumque propriæ sunt, ut constat experientiā; atqui nulla esse potest gravis causa, bona fides, aut intentio, ut fidelis possit illis licere uti ad se occultandum; ergo. prob. maj. illè homo tunc assūderet signum infidelitatis proprium; sed nulla potest esse gravis causa, bona fides, aut intentio ad sumendum proprium signum infidelitatis; ergo &c. Confirm. i. Tale se esse signum aequiparatur verbo, quo quis diceret, Turcam, Judæum &c. est enim illud signum impositum ad significandum instar verbis; sed nulla esse potest gravis causa, aut bona fides, ut fidelis verbo significet, se esse Turcam &c. ergo &c. Confirm. 2. Quia alias, si inter gentiles esset usus

880.

881.

882.

883.

usus vestium, in quibus depictum esset idolum ad discernendam illam gentem ab aliis, licitum esset fidelis ibi peregrinanti uti tali veste; sed hoc est valde absurdum: ergo &c.

883. Resp. dist. maj. illorumque propriæ sunt ita, ut proprietas illa retineatur in omnibus circumstantiis, nego; ita ut ex jure gentium in omnibus non retineatur, conc. maj. & dist. sic mi. neg. conf. ad prob. distinctis eodem modo præmissis neg. conf. Ratio est, quia quando ex jure gentium licet uti stratagemate, accipiendo vestes unius Nationis, ut inimicus vestes assumens occultetur, vestes illæ in illis circumstantiis respectu illius, qui occultatur, ex ipso jure gentium non retinent in illo proprietatem infidelitatis; sic vestis monachalis v. g. ed quod præter significationem suam communem, significandi Religiosum talis ordinis, habeat suum usum communem regendi corpus, ad quod ex primaria sua institutione vestes institutæ sunt; in illis circumstantiis, in quibus ex jure gentium potest laicus utendō illis vestibus se occultare, non tenent in illo significationem Statutus Religiosi, quamvis homines, qui de illis circumstantiis nihil scirent, judicarent ex habitu, talem hominem Religiosum esse; pariter in nostro casu suò modō.

884. Ad 1. Confirm. dist. maj. æquiparatur verbo, si adhibeatur in circumstantiis, in quibus confertur ex jure gentium facultas utendi tali signo, nego, in alij circumstantiis, conc. maj. & dist. sic min. neg. conf. ut constat ex dictis, & pater ex Christianis, qui tempore belli utuntur vexillis Turcarum, & infidelium, quin illi, qui usum in illis circumstantiis agnoscent, possint judicare, eos Turcas, vel gentiles esse, quamquam qui non reflectunt ad facultarem jure gentium habitam, in eo casu facile decipi possint; cæterum cum deceptio illa sit permisita, & non intenta, cum solùm intendatur occultatio, quæ licita est, exinde licitum est tunc uti illis signis hostium.

885. Ad 2. Confirm. neg. maj. per se loquendō, quia pictura idoli non est instituta per se vel ad tegendum, vel occultandum corpus, ad quam tendit intentio utentium illis signis, sed est primario instituta ad significandam professionem illius sectæ. Quare ut fidelis possit uti licite illis vestibus, necesse est, ut idioli picturam occultet regulariter, & per se loquendō, aliter committeret clarum mendacium rebus significatum, & quidem contra Religionem, quod illicitum est. Dixi Regulariter & per se loquendō, quia hoc maximè procedit, quando ipso exercitio servatur modus religiosus, & superstiosus, propter quem vestis est instituta; nam si quis uteretur tali veste modō profano v. g. in tragædiis, tunc magis videretur contemnere superstiosum usum vestis & idoli, ejusque institutionem, quam illam imitari; atque in illis circumstantiis desiceret jam & falsa significatio, & scandalum.

886. Objicies 5. contra alteram partem Confirm.

Licet homo quandoque jus habeat ad occultationem, numquam tamen habet jus per res omnino illicitas, sed talis esset occultatio facta per vestes proprias infidelium: ergo &c. prob. min. usus talium vestium inseparabilis est à significatione infidelitatis, ad eum modum, quo quamvis apponere in igne incensum de se in differens actio sit, ut fieri quoque possit proprietaryle usum; ut quando sit tali modo institutum ad cultum Religionis inseparabilem, habet illam significationem moraliter loquendō, ideoque fieri non potest simulare ad fidem occultandam; ergo pariter in nostro casu. Resp. conc. maj. dist. min. vestibus propriis in quocunque genere proprietatis, nego, proprietate habita quasi per primarium vestium illarum usum, conc. min. neg. conf. ad prob. dist. eodem modo ant. neg. conf.

Ratio est, quia vestes, quibus uti solent, induplici differentia sunt; aliae quidem ad nullum usum sunt institutæ, nisi ad Sacrum, illæ solùm utuntur Sacerdotes efficientes actiones, quas ipsi Sacras putant, ad eum modum, quo Catholicæ utuntur vestibus sacerdotalibus, usus autem harum vestium per se, & regulariter loquendō non quidem secundarius, sed primarius est usus facer, & ideo tales vestes quasi ex sua primaria institutione usum faciunt significant, ut apud nos thurificatio in talibus circumstantiis facta, procul dubio significationem sacram. Unde his vestibus ut regulariter, & per se loquendō illicitum est, ut cum pluribus DD. bene docet Exim. Docet. cit. sect. 5. num. 13. at aliae sunt vestes, quæ vocantur infidelium propriæ, non quia primarium Religionis usū significant, sunt enim primariò instituta ad tegendum corpus, quamvis secundariò aliam ipsi velint significationem affigere; ad eum modum, quo habitus monachalis primariò instituta est ad corpus tegendum, quamvis secundariò habet alia significationem adjunctâ. Quando autem ex gravi necessitate aliquis ejusmodi vestibus uti solet, ex ipso jure gentium constat, eas tunc non sumi juxta secundariam, sed juxta primariam earum significationem, quæ licita est, adeoque est illicita sine urgente necessitate, quia ex ipso jure gentium sine gravi necessitate non separantur à secundaria sua significatione; unde in eo casu talibus vestibus uti non est peccatum.

### SECTIO III.

Illationes Doctrina nostre.

**E**X dictis fit 1. Non solùm esse gloriosum fidem fateri in genere, quando fidelis à protestante publica interrogatur, sed reverâ esse per se peccaminorum tunc non confiteri fidem, sed tacere, nulloque signo externo fidem veram manifestare. Ratio est, quia ut à num. 855, tunc ex præcepto fidei tenerur fidelis, fidem suam exterius proferri, quando id exigit ho-

nor Deo debitus, aut Catholicae Religioni; tunc enim fidem occultare perinde esset, ac negare, vel falso erubescere, quod maximum peccatum est; ut constat ex eodem n. sed non confiteri fidem, quando fidelis, à Publica Auctoritate interrogatur, certè esset contra honorem Deo, & Catholicae Religioni debitum; ut supra diximus: ergo tunc esset per se peccatum omnino tacere.

889. **Fit 2.** Jure merito damnatam esse ab Innocentio XI. inter 65. propositiones 18. quæ sic habet: *si à potestate publica quis interrogatur fidem in genere confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum confulo; tacere, ut peccaminosum per se non damno.* In illis námque circumstantiis locum maximè habet doctrina Apostoli ad Romanos 10. ut bene notavit Exim. D. disp. 14. de fide sect. 2. nempe corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem; id est, si fidelis tunc fidem non confiteatur, contra suam agit salutem, & peccat lethaliter; quapropter casu, quo quis interrogatur de sua fide, si ex taciturnitate crederetur; vel non habere fidem, aut fidem non esse veram, vel ex ea taciturnitate alij in fide titubarent, graviter peccaret, si fidem suam exterius non prostreretur; quamobrem D. Thomas sect. 2. q. 3. art. 2. sic enim confiteri fidem non semper, neque in quilibet loco est de necessitate salutis; sed in aliquo loco & tempore, quando scilicet per dimissionem hujus confessionis diminueretur honor debitus Deo, & etiam utilitas proximo impendenda; puta si aliquis interrogatus de fide taceret, & ex hoc crederetur, vel quid non haberet fidem, vel quid fides non esset vera, vel alij per ejus taciturnitatem avenerentur a fide; in hujusmodi enim casibus confessio fidei est de necessitate salutis. Unde illustris Petrus de Tappia tom. 2. Catenæ Moralis lib. 1. q. 3. art. 6. ita Concludit si video ex taciturnitate mea, & omissione confessionis aliquos, vel aliquem defecitum a fide, vel vacillatum; non solum ex charitate, sed ex ipsa præcisa & formalí confessione fidei teneor præcepto affirmativo confiteri eam; cum ex ipsa formalí confessionis omissione in eo evenitu per se sequatur defecitus ille, vel vacillatio.

890. **Fit 3.** Confessionem fidei in eo casu fieri posse non solum verbis, sed etiam aliis quam pluribus signis externis; v. g. si interrogatus taceat, & oculorum Crucifixum, quem pre manibus habet; tunc illud silentium per accidentem non est signum negatæ fidei, vel erubescientiae; quia liet ore taceat, opere tamen externo confiteretur. Pariter si duo socij fideles convenientur coram tyranno, qui eos ita interrogat, numquid vos Catholici estis? principalis autem eorum ita respondeat: ambo fidem Catholicam profitemur, quamvis alter socius taceat; si laeto vultu annuat, taciturnitas ejus per accidentem non est signum negatæ fidei signum; quia principalis loquitur pro se, & socio, & illud silentium, quod sine tali circumstantia poterat esse signum erubescientiae, aut negationis fidei, in ea circum-

R. P. Gormaz Theolog. Tom. I.

stantia est signum confessionis fidei. Rursum casu, quo tyrannus dicat Petro Catholicó, certò scio, te esse Professorem Catholicæ fidei; ideoque sustinebis pœnas acerbitissimas, & Petrus tacens rideat spernens minas, hoc silentiam non est signum negatæ fidei, aut timoris; sed cum ea circumstantia est virtualis fidei confessio; si enim timeret, negaret; & non negare, sed tacere, & ridere minas, est signum confessionis fidei.

**Fit 4.** Obligare aliquando fidei præceptum ad externam confessionem, quamvis potestas publica non interroget in odium fidei, sed ob alium finem bonum exigentem externam confessionem ad honorem fidei. Ratio est, quia potest Princeps Catholicus scire velle propter aliquem finem honestum, & consequenter non in odium fidei, quinam sint Catholicæ in ditione sua, ut puniat si aliquem forte hæreticum invenerit, & fidei honori consuleret; quare si tunc interroget Petrum, an sit Catholicus, non licet tunc Petru tacere, aut tergiversari; quia esset ea taciturnitas signum negatæ fidei; quapropter si aliquis assereret in eo casu; silentium esse licitum, subjaceret damnationi Innocentij XI. à num. 888. juxta quam damnabilis est propositio afferens interrogatum à potestate publica de sua fide postea tacere; neque potest excusari in præsenti; sicut in aliis casibus; de quibus suprà diximus, ex eo, quod hic non agatur causa fidei; nam quamvis non agatur causa fidei in odium fidei, agitur tamen ad honorem fidei, ad quem in eo casu unusquisque fidelium tenetur; idcirco interrogatum ab ipsis, vel Principe Catholicó, teneri ad fidei confessionem, docuere P. Arriag. disp. 21. sect. 2. num. 5. Ceteranter à SS. Sacr. in Decal. disp. 2. q. 12.

**Fit 5.** Actum externum fidei non procedere effectivè ab habitu interno infuso divinae fidei, quamvis imperium voluntatis in eo casu non despiceret aliud motivum, nisi obligationem credendi tunc, ne fidelis transgrediat præceptum fidei; ratio est, quia habitus fidei illū, dan taxat actum, producit effectivè, qui effectivè procedit à potentia, in qua residet habitus; habitus enim intellectus solum potest describere ad elicendos actus intellectus, non voluntatis, multoq[ue] minus exterioris alicujus potentiae distinctæ ab intellectu; ergo non procedit effectivè ab habitu fidei. Confirm. si effectivè eliceretur ab habitu fidei, vel esset per se, vel per accidentem; sed neutrum dici potest; ergo, non quidem per se; nam actus externus est naturalis, qui per se non exigit principiū supernum; non per accidentem, quia principiū per accidentem supponit jam totum principiū per se, & insuper deber esse in ea potentia, quam adjuvat; quod dici non potest de habitu fidei respectu potentiarum externalium.

Quapropter quando D. Thomas 2. 2. q. 3. art. 1. ad 3. art: dicendum, quod fides interior mediante dilectione causat omnes exteriores actus virtutum medianib[us] aliis virtutibus im-

B b b b

perandō,

Perandō, non eliciendō, sed confessionem producit tanquam proprium actum nulla alia virtutē mediante, non est intelligendus, quasi sentiat habitum fidei effectivē producere actum exterum; sed quatenus exigit, ut voluntas imperet potentiis exteris ut, actum suum eliciant, qui fidem exterius profiteatur, in quo distinguitur actus imperatus ab actibus aliarū virtutum, quos charitas imperat, non quidem ad adimplendum praeceptum fidei, sed ad adimplendum praeceptum aliarum virtutum, ideoque non tribuentur fidei, sed aliis virtutibus, quamvis effectivē ab aliis virtutibus exteriores actus non procedant, quæ manifesta est ipsis D. Thomæ doctrina 2. 2. q. 81. art. 1. ubi ait: *ad primum ergo dicendum, quod Religio habet duplices actus, quosdam quidem proprios, & immediatos quos elicit, per quos homo ordinatur ad solum Deum, sicut sacrificare, adorare, & alia hujusmodi; alios autem actus habet, quos producit medianib[us] virtutibus, quibus imperat ordinans eos ad divinam reverentiam; quia scilicet virtus, ad quam pertinet finis, imperat virtutibus, ad quos pertinent ea, quæ sunt ad finem, & secundum hoc actus Religionis per mo-*

*dum imperij ponitur esse visitare pupilles, & duas, & in tribulacione eorum, quod est alii elicitus à misericordia; immaculatum autem custodire se ab hoc seculo, imperativū quidem est Religionis; elicitivè autem temperantia, & alicuius hujusmodi virtutis.*

Quibus in verbis D. Thomas apertè significat, actum exteriorem virtutem, aquae ad eum ad virtutem aliquam pertinente fieri simul cum actu interno illius virtutis, adeoque virtutem concurrens productivē ad actum internum, à quo actus externus dicitur denominativē ab ea virtute elicitus, non quidem effectivē, cùm actus externus non sit actus eius potentiae, in qua residet virtus, ut extermis patet; unde quamvis ex actu interno & externo confurgat unum opus morale, non ita confurgit, ut utraque pars sit intrinsecè supernaturalis; actus enim solùm internum est supernaturalis; externus vero naturalis, solumque denominative supernus; unde virtus infusa solùm producit actum internum, & exigit ad adimplitionem praecepti, ut potentia exterior producat exterum; unde facile apparet & doctrinæ D. Thomæ, & veritas nostræ illationis,

## DISPUTATIO XIX.

### AN PER MENDACIUM, ERROREM, AMPHIBOLOGIAM, AUT MIRACULA POSSIT DEUS DECIPERE HOMINES.

§95. Plura quærimus in hac disputatione, quārum notitia valde conduit ad stabilendas assertiones, quas toto tractatu tradidimus; certe si Deus posset nos decipere, aut per mendacia, aut infundendo nobis errorem, aut patrandō miracula in contestationem falsæ doctrinæ, aut quovis alio modo excogitabili, non possent subfistere principia, ex quibus probationes deduximus ad doctrinam traditam stabilendam ideoque breviter percurram ea, quæ olim latius tradideram.

#### SECTIO I.

##### De Mendacio, Errore, Amphibologia, & de Miraculis.

§96. Affer 1. contra Theologos cit. num. 808. Non potest Deus de potentia absoluta mentiri. Prob. quia ita docent Sacrae Scripturæ ibi à nobis adductæ, tum etiam SS. PP. cit. num. 10. tum ipsa naturalis ratio, qua demonstratur, mendacium esse intrinsecè malum, proindequæ Deo essentialiter repugnare ut, à num. 811. ergo &c. Confirm. ex Paulo ad Hebreos 6. ubi exponit firmitatem nostræ fidei, & spei fundatæ in divinis promissionibus ait: *in quo abundantius volens Deus ostendere possi-*

*tationis heredibus immobilitatem consilij sui, interposuit jus jurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, firmissimum solatum habeamus: iste namque res immobiles sunt locutio, & juramentum; ubi maximè notandum est, Apostolum dicere abundantius; quod exinde dictum est; nam quilibet ex prædictis rebus est per se immobilis; unde sine necessitate, & ex abundanti addidit promissioni suæ juramentum: ergo locutio divina se sola talis est, ut non possit disfirmari cum re testificata; quod etiam significat Apostolus 2. ad Tim. 2. si non credimus, ille fidelis permanet, negare se ipsum non potest. Unde Dyon. cap. 8. de divinis nominibus circa medium solvens argumentum, qui objiciebat, quæ ratione fieri posset, ut Deus esset omnipotens, cùm ab uno nostro Theologo (S. Paulo) diceretur se ipsum negare non posse, ubi sic respondet: nempe se ipsum negare à veritate decidere est; porro veritas Deus est, & à veritate cadere, à Deo est cadere; si igitur veritas Deus est veritatis, negatio, est à Deo prolapso, à Deo cadere Deus non potest, & non est, ut sic dixerimus, non est, & non posse non potest.*

Affer 2. Repugnat omnino Deo, ut creatus intellectui infundat errorem adhuc speculativum. Prob. 1. Error speculativus in eo distinguatur à practico, quod hic respicit mores v. g.